

Principia Philosophiae Autore G.G. Leibnitio / ... Praeside Johanne Conrado Creilingio, ... exponet Joh. Fridericus Ramsler ... Anno MDCCXXII.

Contributors

Creiling, Johann Konrad, 1673-1752.

Leibniz, Gottfried Wilhelm, Freiherr von, 1646-1716.

Ramsler, Johann Friedrich.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Josephi Sigmundi, [1722]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f2axe8vx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

19
PRINCIPIA
PHILOSOPHIÆ

AUTORE G. G. LEIBNITIO.

Juvante DEO,

P R Æ S I D E

JOHANNES CONRADO
CREILINGIO,

Philosophiæ Naturalis & Mathem. Prof. Ordinario,
Facult. Philos. h. t. DECANO.

*Pro summis in Philosophia Honoribus rite
consequendis,*


quoad §.§. 39. priores,

publicæ Amicorum disquisitioni exponet

JOH. FRIDERICUS RAMSLER, *Mercklingensis*,
Magisterii Philosophici Candidatus.

D. *Augusti, Anno MDCCXXII. h. l. c.*

TUBINGÆ,
Typis JOSEPHI SIGMUNDI.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30774585>



PRÆFATIO.

M Editanti per hos dies de argumento disputationis Philosophicæ habendæ commodum accidit, ut Bibliopola noster, quod ex actis Eruditorum, quæ Lipsiæ publicantur, restabat, tandem advehens, Sectionem quoque XI. & XII. Tomi VII. Supplementorum offerret; quas avidis perlustranti oculis in priori statim sub aspectum ceciderunt p. 500. seqq. **PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ AUTORE G. G. LEIBNITIO.** Immortale Nomen, quod suo merito Perillustris b. Autor, quo nemo ad reformatam Philosophiam aptior videbatur, consecutus est, causa fuit; non tantum incesceret animum cupido legendi hæc Principia, & jam ab aliquo tempore haud exiguum inter Eruditos rumorem citarunt, verum etiam petentibus a me Disputationis materiam obus Candidatis Præstantissimis loco thesium ventilandarum ea commendarem, ratus non alia ratione facilius in apricum prodireum esse, quid positionibus his subsit veritatis, quam per ejusdi disquisitiones amicas, quibus, quod ajunt, cos cotem acuit. edita fuere in perlectione eorum subinde quædam Scholia, quibus tum, quæ primum in mentem inciderunt, Cogitationes nostræ continentur, aliorum judiciis studio non lectis nec in subsidium datis, haud paucis etiam, quæ disquisitione digna fuissent, brevatis causâ omissis. Num vero profundissimi Autoris mentem que adsecuti simus, dubitare nos jubent Thesium concisa brevi-

tas, earumque arctissime connexarum nodi latentes, quos solus Vir Immortalis solvere posset, si pristino vitæ gradu adhuc inter mortales degeret. Bona interim fide meletemata hac extemporanea in chartam coniecimus, quicquid mens nullius, nisi veritatis, amore, nulliusque odio acta suggessit, pro ingenuitate nostræ proferentes, errorem quoque, sicubi hallucinati fuimus, moniti grata mente correcturi, qui de cetero Incomparabilis Leibnitii merita maximi semper aestimamus.

§. I.

Monas, de qua dicemus, non est nisi substantia simplex, quæ in composita ingreditur. Simplex dicitur, quæ partibus caret.

Monas est vox desumpta ex philosophia antiquissima, Pythagorica & Platonica, latine Unitatem, uti notum est, significans. Pythagoricos enim & Platonicos eadem voce frequenter usos esse neminem latet, qui in historia philosophica hospes non est præter Jamblichum, Mevrsium, Patritium, aliosque, quos taceamus, unum Hopperum, Illustrem Virum, testimonii loco allegamus, qui ita in Seduardo suo tit. de DEO loquitur: quemadmodum Monas principium, ita quaternarius omnium numerorum est complementum, dum unum, duo, tria in se comprehendit, & ex omnibus trinum unum efficit. Et quidem quod explicite (ut sic loquar) sunt decem, ultra quæ nullus amplius est numerus, sed repetitio numeri duntaxat, hoc implicite sunt quatuor. Nam unum, duo, tria, quatuor, sunt decem, ac cum Monadis sit substantiam rebus tribuere, per id quod est, binarii distinctionem, per unum & alterum, ternarii ordinem, per motum & quietem a principio per medium ad finem: quaternarii est concentum iis tribuere secundum proportionem Arithmeticam, Geometricam & Harmonicam, item Hypate, Meze, & Nete; nec non pondus numerum & mensuram, idque secundum harmoniam diatessaron, diapente & diapason, quæ omnia in quaternario insunt. Monadis autem nomine vix aliud aptius dari potest prima & simplicissima rerum elementa in universum

versum exprimens, neque obstat, quod *Epiphanes*, Auctor *Monadicae* Cognitionis, alique haeretici eodem usi fuerint. *Atomus* enim, qua voce nonnulli utuntur, per Epicureos ad naturam corpoream determinata videtur, licet Aristoteles nihil interesse dicat, μονάδας λέγειν, ἢ σωμαῖα μικρά, (*Monades* dicere aut corpuscula.) *Punctum* qui dicere vellet, cogeretur respondere ex vulgata hypothese ad id, quod punctum puncto additum non generet magnitudinem, adeoque nihil exinde componi possit. Quod & ipse Ill. Auctor in A. E. Ao. 1698. pag. 435. monuit inquiens: etsi dentur atomi substantiae, nostrae scilicet *Monades*, partibus carentes: nullae tamen dantur atomi molis, seu minimae extensionis, vel ultima elementa, cum ex *punctis* continuum non componatur. *Monas* dum hic definitur substantia simplex quae in composita ingreditur, ultimis his verbis B. Auctor distincte significat, se per *Monadem* non intelligere, quod per *Punctum* vulgo mathematici. Licet simplex ipsi definiatur iisdem verbis, quibus in *puncti* definitione usus est *Euclides*: Σημεῖον ἐστὶν ὃ μέρους ἔδεν (punctum est, cujus pars nulla) inquiens. Ceterum in tota definitione & quod *Monadas* suas, quas alibi veras & reales unitates vocat, ad genus substantiae restrinxerit, jure suo, quo quivis dicere potest, quid per hanc aut illam vocem intellectum velit, usus est Ill. noster Pythagoras Germanus, quem si quis cum illo Samio, primo omnium philosopho & Italicae sectae vel auctore vel instauratore, conferre velit, non vanam suscipiet operam. Nos illam peritioribus, qui majori historiae philosophicae cognitione gravidi sunt, relinquimus. Id forte metaphysici adhuc desiderabunt, ut explicetur distinctius, quales intelligantur partes, quae in *Monadibus* Leibnitianis negantur, an omnes omnino, an certum tantum generis? qualisve sit illa compositio, cui haec simplicitas opponitur, & qua *Monades* carent? an saltem physica, an vero etiam metaphysica & omnimoda? Verum quoniam ipsum auctorem in sequentibus aphorismis clarius se explicatu-

rum esse speramus, differendum eo iudicium : maxime cum nondum satis nobis liqueat, quî hæc simplicitas & partium carentia cum ea *monadis* explicatione conciliari possit, quam ipse occasione litis de naturæ idolo inter *Sturmium* & *Schellhammerum* l. c. pag. 434. dedit : ubi, quod activitates materiæ rei passivæ modificationes esse nequeant, disertis verbis inquit : debere in corporea substantia reperiri *ἐντελέχειαν primam* tanquam *πρῶτον δεκτικὸν* activitatis, *vim* scilicet *motricem primitivam* &c. atque hoc ipsum substantiale principium est quod in viventibus *anima*, in aliis *forma substantialis* appellatur, & *quatenus cum materia substantiam vere unam seu unum per se constituit, id facit, quod ego Monadem appello*. Hactenus auctoris verba. Si vero scholasticos quæras : quid faciat forma substantialis cum materia prima ? respondebunt : Secundam, seu materiam physicam, seu corpus. Ergo corpus, quod est *substantia composita*, est *Monas*, quæ est *substantia simplex*. Sed hæc forte sequentia ferenabunt.

§. 2.

Necesse autem est dari substantias simplices, quia dantur composita : neque enim compositum est nisi aggregatum simplicium.

Existentia Simplicium per *existentiam Compositorum* legitime probatur. Eo ipso enim quo composita dico, *partium* quibus constant, id est, *Simplicium* idea involvitur. *Composita* vero nemo negat. Exempli loco esse potest homo, qui in communi sententia est substantia ex anima spiritali & corpore organico, vel ex substantia materiali & immateriali, tanquam partibus *essentialibus* ; & quoad corpus ex cerebro, corde, pulmonibus &c. tanquam partibus *integralibus* composita. Quod autem Harmoniæ Præstabilitæ hypothesis exemplum hoc quoad partem priorem non admittat, recte tamen contra vulgaris sententiæ patronos pro auctore urgebitur. Separata autem *Simplicium* in rerum universitate existentia hoc argumento non evincitur.

§. 3.

Ubi non dantur partes, ibi nec extensio, nec figura, nec divisibilitas locum habet. Atque *Monades* istæ sunt veræ atomi naturæ, & ut verbo dicam, Elementa rerum.

Utrum *Extensio* & *Figura* esse nequeat, nisi ubi dantur partes, adeoque substantiæ simplices nulla sint figura præditæ? dubitari potest, quia omnis substantia finita, sive simplex sit sive composita, *terminis* suis circumscribitur: terminorum autem vel extremitatum certa positio est *Figura*, ipsarumque *Monadum multitudo* singulis extremitates adscribit, easque determinat. In verbis sequentibus *Monades* ulterius explicantur *veræque atomi* naturæ appellantur. Non enim desunt, qui inter *veras* atomos & *Epicureas* distinguunt, quod suas Epicurus magnitudine & figura varias statuerit; tales autem hic non intelliguntur, sed in genere simplicissima rerum Elementa & τὰ πρῶτα τῆς φύσεως uno verbo. In quo Ill. Autor consentientem habet omnem Philosophorum chorum, qui, ne ipso quidem Aristotele excepto τὸ μικρομέρεσάτον καὶ λεπτότατον esse τὸ στοιχειόδεσάτον affirmante, unoque ore omnes Naturæ Minima, licet diversa ratione, agnoscunt.

§. 4.

Neque etiam in iis metuenda est dissolutio; nec ullus concipi potest modus, quo substantia simplex naturaliter interire potest.

§. 5.

Ex eadem ratione non datur modus, quo substantia simplex naturaliter oriri potest, quoniam non aliter nisi per compositionem formari posset,

§. 6.

Imo asserere quoque licet, monades nec oriri, nec interire posse nisi in instanti, hoc est, non incipere posse nisi per creationem, nec finiri nisi per annihilationem, cum e contrario composita incipiant ac finiantur per partes.

Qui substantiæ simplicis definitionem §. I. traditam tenent, per omnia in his subscribere coguntur, nisi forte spiritualis quæ-

quædam emanatio momentanea sine partium compositione admitratur : qualis num in rerum natura detur , aliorum disquisitioni submittimus. Et nisi quis statuatur, DEUM ab initio simplicibus certam determinasse durationem , qua finita exspirare , inque chaos seu nihilum redire debeant , qui modus tamen auctori inter naturales forte non recensebitur. Id saltem monemus , ne quis omnia , quæ de *Monadibus* suis intellecta vult Illustris autor , ad substantias vulgo etiam simplices dictas , quales existere novimus , adplicet. In quibus cum multiplex detur compositio , non obstante simplicitate sua respectiva , ortus & interitus naturalis haud difficulter intelligi potest.

§. 7.

Nulla etiam modo explicari potest , quomodo *Monas* alterari aut in suo interiori mutari queat per creaturam quandam aliam , quoniam in ea nihil transponere , neque ullum motum internum concipere licet , qui excitari , dirigi , augmentari aut diminui possit , quemadmodum in compositis contingit , ubi mutatio inter partes locum habet. Destituuntur *Monades* fenestris , per quas aliquid ingredi aut egredi valet. Accidentia non egrediuntur ex substantiis , quemadmodum alias species sensibiles Scholasticorum. Atque adeo neque substantia , neque accidens in *Monadem* forinsecus intrare potest.

§. 8.

Opus tamen est , ut *Monades* habeant aliquas qualitates : alias necessentia forent.

In his primo videtur tolli omne creaturarum mutuuum commercium actionum & passionum , minimum inter *simplices*. Si ab extra nihil possunt pati , quomodo movebuntur ? Quomodo percipient ea , quæ extra sunt posita ? hætenus communiter tradunt : quicquid movetur , ab alio movetur. Si dicas : hunc motum non afficere *internum Monadis* sed *externum* : Vix hæc sine partium fictione concipientur. Id quidem verum est , si nihil intus esse statuas , quod possit transponi , vel generalius loquendo mutari : nulla quoque mutatio in interiori Mo-

Monados fieri poterit, nulla inquam omnino, neque per creaturam aliam, neque per principium intrinsecum. Verum quia etiam in *Monadibus* juxta §. 8. est *compositio* ex *subjecto* & *accidenti*, nec non ex *accidentibus*, & quia externum *Monadis* aut est unum cum interno, aut communicat saltem cum interno; quovis motu autem ab alia *Monade* impingente externum procul dubio patitur, actioque & reactio inter duas pluresve *Monades* concipitur: Status quoque internus *Monadum* mutari debet; ne de perceptionum varietate ab externo principio necessario dependente, nisi seipsam *Monas* & immanentia saltem percipiat, nunc quicquam adferam. Quando denique dicitur, quod *Monades* qualitate carentes non forent entia; intellige alia, de quibus prædicata peculiariter ad generationem & compositionem aliorum necessaria possent derivari, vel in genere substantiæ cum relatione ad accidentia. Nam & qualitates qualitatibus carentes seu modi ipsi inter entia communiter referuntur, entitatis quidem minoris, ut cum Scholasticis loquamur.

§. 9.

Imo opus est, ut quælibet *Monas* differat ab alia quacunque. Neque enim unquam dantur in natura duo entia, quorum unum ex alio convenit cum altero, & ubi impossibile sit quandam reperire differentiam internam aut in denominatione intrinseca fundatam. Quod si substantiæ simplices qualitatibus non differrent; nulla etiam in rebus mutatio observari posset: quoniam, quod in composito reperitur, aliunde quam ex simplicibus ingredientibus resultare nequit. Et si *Monades* qualitatibus destituerentur, nec una ab altera distingui posset, quoniam eadem nec quantitate differunt: consequenter si plenum supponatur, locus quilibet in motu non reciperet nisi quod æquivaleret ei, cui succederet, & unus rerum status indiscernibilis foret ab altero.

§. 10.

Assumo etiam tanquam concessum, quod omne ens creatum sit mutationi obnoxium, & consequenter etiam *Monas* creata; imo etiam quod mutatio sit in unaqualibet continua.

§. 11.

Sequitur ex hætenus dictis, mutationes naturales *Monadum* a
prin-

principio interno proficisci, propterea quod causa externa in eum
interius influere nequit. Et generaliter adfirmare licet, *Vim* non
esse nisi principium mutationum.

In §. 9. cuncta luce sua radiant, & ex ejus verbis intelligi-
tur quoque compositio in *Monadibus*, quæ est ex genere & dif-
ferentia. Quæ vero in §. §. 10. & 11. leguntur, pugnare vi-
dentur cum superioribus in §. §. 5. 6. & 7. dictis. Sed quoniam
in §. 7. negata tantum fuit mutatio forinsecus adveniens, hic
autem ex eo, quod mutatio necessaria sit, neque tamen ab ex-
tra fieri possit, legitime infertur, illam fieri debere a princi-
pio interno, quod *Vim* adpellare libet. Aliis hoc princi-
pium mutationis *Natura* vocatur. Vis autem activa B. Au-
tori actum quendam seu *ἐντελέχειαν* continet, atque inter fa-
cultatem agendi actionemque ipsam media est, & conatum in-
volvit; atque ita per se ipsam in operationem fertur; nec au-
xiliis indiget, sed sola sublatione impedimenti. Quod exem-
plis gravis suspensi funem sustinentem intendentis, aut arcus
tensi illustrari potest (sunt verba Auctoris in A. E. 1694. pag.
112.) Hæc Vis alibi lex insita dicitur, in qua ipsa rerum sub-
stantia consistat (A. E. 1698. pag. 432.) Vis nimirum & agen-
di & patiendi, quam in specimine Dynamico utramque in-
primitivam & derivativam distinguit. *Primitivam vim agendi*
(quæ nihil ei est aliud, quam *ἐντελέχεια ἡ πρώτη*) animæ ve-
formæ substantiali respondere, *patiendi autem vim primitivam*
seu resistendi, ait, id ipsum constituere, quod *materia prima*
si recte interpreteris, in scholis adpellatur (v. A. E. 1695. pag.
146.) Nulla in his est pugna. In eo tamen aliqua esse vide-
tur, quod omnis *mutatio* sive a principio interno, sive exter-
no derivetur, in interiori *Monadum* per partes fieri debeat
juxta §. 7. quæ tamen nullæ sunt. Porro omnis *mutatio* au-
tem est *destructiva*, aut *perfectiva*. Illa *interitum*, hæc *ortum* om-
nium, quæ in *Monadibus* concipiuntur, ex gr. differentiarum
specificarum, per consequens ipsarum quoque *Monadum* natu-
ralem inferre videtur, qualem §. §. 5. & 6. negant.

§. 12.

Opus etiam est , ut præter principium mutationum detur quoddam *Schema* ejus , quod mutatur , quod efficit , ut ita dicam , specificationem ac varietatem substantiarum simplicium.

§. 13.

Involvere istud debet multitudinem in unitate aut simplici. Omnis enim mutatio naturalis cum per gradus fiat , aliquid mutatur & aliquid remanet , consequenter in substantia simplici datur quædam pluralitas affectionum & relationum , quamvis partibus careat.

Si per hoc *Schema* intelligatur id , quod vulgo *formam* appellant , habebimus præter compositionem ex pluribus affectionibus & accidentibus etiam illud compositionis genus in *Monadibus* simplicibus , quod est ex materia & forma , juxta vulgarem loquendi modum. *Formæ* quippe in compositis vulgo tribuitur id , quod efficit *specificationem* , ut videatur hic saltem magis congruo novæ philosophiæ nomine *Schema* appellari. Interim merito dubitatur , an Autor per hoc *Schema* formam substantialem intelligere voluerit , quippe cui alibi vim agendi primitivam , quam hic *Schemati* contradistinguit , substituit , quæcum spiritum Celeberrimi & Perillustri Viri , qui corpus omne ex materia & spiritu constare satis plausibiliter adseruit , comparat. An vero forma quædam accidentalis , interna tamen , cui varietates *Monadum* & consequenter per istarum complexum specificationes adscribendæ sint , intelligi debeat , aliis dijudicandum relinquimus. De cetero & hic §. 13. cum §. §. 5. 6. & 7. manifeste pugnare videtur , successivam & gradualemente statuens mutationem in simplicibus , etiamsi partibus careant.

§. 14.

Status transiens , qui involvit ac repræsentat multitudinem in unitate seu substantia simplici , non est nisi istud , quod *Perceptionem* adpellamus , quam probe distinguere debemus ab apperceptione seu conscientia , quemadmodum in sequentibus patebit. Atque in hoc lapsi sunt Cartesiani , quod pro nihilo reputaverint perceptiones , quarum nobis non sumus conscii. Propter hanc

quoque rationem sibi persuaferunt, solos spiritus esse *Monades*, nec dari animas brutorum, nec alias entelechias, & cum vulgo longum stuporem cum morte rigore sic dicta confuderunt: unde porro in præjudicium Scholasticorum de animabus prorsus separatis prolapsi & ingenia perversa in opinione de mortalitate animarum confirmata sunt.

§. 15.

Actio principii interni, qua fit mutatio seu transitus ab una perceptione ad alteram, *appetitus* adpellari potest. Verum equidem est, quod appetitus non semper prorsus pervenire possit ad omnem perceptionem, ad quam tendit; semper tamen aliquando ejus obtinet, atque ad novas perceptiones pervenit.

Primo recte distinguitur inter *perceptionem* simplicem, directam, & reflexam, seu eam tantum, cujus habemus notitiam, quam *apperceptionem*, una voce, nominare libet. Non enim sequitur, nullam adesse perceptionem, si vel actus reflexus deest, vel saltem perceptionis non simus conscii. Utrum vero *perceptio* nil sit, quam *Status Monadum transiens*, qui repræsentat multitudinem in unitate, non sine ratione dubitatur. Si quidem in vulgari perceptionis idea subsistamus, facile innumeras variationes in ente fieri concipiemus, ut nihil inde percipiat proprie loquendo. Si vero perceptio idem sit, ac passio generatim dicta, aut receptio actionis & reactio quædam, certum est, nullam sine ea fieri posse mutationem. Cavendum autem semper putamus, ne ideæ confundantur, & receptis dum terminis alia significatio statuatur. Præstat novos omnino fingere terminos, eosque distincte explicare. Sic etiam actio, seu transitus ipse ab una perceptione seu passione ad alteram *appetitus* quidem adpellari potest, non vero in consueto, omnibusque familiari, sensu. Utrum etiam *appetitus* semper aliquid obtineat ejus ad quod tendit, vel illius perceptionis ad quam tendit, dubio non vacat. Haud enim infrequenter appetitum frustraneum esse experiuntur multi, qui ingemunt illud: *vellem si possem*. Imo per actionem aliquam non tantum nihil illius, quod intendebatur, sed plane contrarium quod fugiebatur, obtentum fuisse, observarunt haud pauci

ex. gr. ad præcavendam apoplexiam & sanitatem recuperandam instituebatur venæ. sectio, hæc ipsa insultum apoplecticum mortemque acceleravit. Qualia in praxi clinica Medicus, & hujus vitæ Politicus quivis, plura quotidie notare potest.

§. 16.

Ipsimet experimur multitudinem in substantia simplici, quandoquidemprehendimus, minimam cogitationem, cujus nobis consci sumus, involvere varietatem in objecto. Omnes itaque, qui agnoscunt, animam esse substantiam simplicem, hanc multitudinem in *monade* admittere debent, atque Bælius ea in re difficultates faceffere non debebat, quemadmodum fecit in suo *Dictionario*, articulo *Rorarius*.

§. 17.

Negari tamen nequit, perceptionem & quod inde pendet per rationes mechanicas explicari non posse, hoc est, per figuras & motum. Quodsi fingamus, dari machinam, quæ per structuram cogitet, sentiat, percipiat; non obstat, quo minus iisdem proportionibus retentis sub majore mole construi concipiatur, ita ut in eam aditus nobis concedatur tanquam in molendinum. Hoc supposito, intus nil deprehendemus nisi partes se mutuo impellentes, nec unquam aliud quicquam, per quod perceptio explicari queat. Hoc itaque in substantia simplici, non in composita seu machina quærendum. Imo etiam præter istud in substantia simplici non reperietur aliud, hoc est, præter perceptiones earumque mutationes in ea nil datur. Atque in hoc solo consistere debent omnes *actiones internæ* substantiarum simplicium.

Multitudinem dictam in substantiis simplicibus nobis notis utique vel experimur vel conjicimus. An vero his definitio prima *Simplicis*, omniumque omnino partium carentia, attribui possit, dubitamus. *Perceptio* quidem per *figuram & motum* explicari nequit in sensu proprio & recepto, sine motu tamen nunquam concipitur, qui generatim loquendo in omni perceptione necessario statuitur. Ea vero perceptio, quæ improprie ita dicta saltim multitudinem variationum dicit, per rationes mechanicas quin explicari queat, nemo dubitabit. Quas difficultates Bælius objecerit, studio nunc inquirere nolumus, neque ejus *Dictionarium* in allegato articulo inspicere, ne in

cogitata nostra ullum se insinuet præjudicium. Ea enim nuda prout se in lectione hac offerunt, a nullo alio subministrata vel excitata in chartam hanc conjicere volumus, qui non eruditionis ostentandæ gratia scribimus.

§. 18.

Nomen *Entelechiarum* imponi posset omnibus substantiis simplicibus seu *monadibus* creatis. Habent enim in se certam quandam perfectionem (ἐχσσι τὸ ἐντελές,) datur quædam in iis sufficientia (ἀντάρκεια) vi cujus sunt actionum suarum internarum fontes quasi automata incorporea.

Sint *Monades* creatæ *Entelechiæ*, automata incorporea, quod perplacet; quæ autem fient ex *Monadibus* his incorporeis sola compositione corpora? Aut enim dantur *Monades* aliæ corporeæ, aliæ spirituales, aut demum ex spiritualibus seu simplicibus fient corporeæ, hoc est, compositæ. *Monadas* vocari corporeas in sensu Auctoris implicat æque, ac si simplex dicas compositum. Si vero corpora ex *Entelechiis* composita fuerint, habebunt omnia, quæ *Entelechiæ* habuerunt, neque quicquam aliud, quam quod ex simplicibus ingredientibus receperunt, juxta §. 9. Præstabit autem unumquodque corpus, seu machina composita simplici, corporeum incorporeo, utpote non unius saltim, sed plurium simplicium virtutes possidens. Majoris erit momenti hæc quæstio, quam scholasticorum disputantium, an simplex præstet composito?

§. 19.

Quodsi *animam* adpellare libet, quicquid perceptionem & appetitum habet in sensu generali, quem modo explicavimus; omnes substantiæ simplices aut *Monades* creatæ appellari possent animæ. Enimvero cum apperceptio aliquid amplius importet quam simplicem quandam perceptionem, consultius est, ut nomen generale *Monadum* & entelechiarum sufficiat substantiis simplicibus, quæ simplici perceptione gaudent, & animæ appellentur tantummodo istæ, quarum perceptio est magis distincta & cum memoriâ conjuncta.

§. 20.

In nobis enim ipsis experimur statum quendam, in quo nihili recorda-

cordamur nec ullam perceptionem distinctam habemus, veluti cum deliquio animi laboramus, aut quando somno profundo absque infomnio oppressi sumus. In hoc statu anima quoad sensum non differt a simplici *Monade*. Sed cum status iste non perduret, aliquid amplius sit necesse est.

§. 21.

Atque inde non sequitur, quod tunc substantia simplex careat omni perceptione. Fieri hoc nequit per rationes modo dictas: neque enim perire, nec sine omni variatione subsistere posset, quæ aliud esse nequit, quam ipsius perceptio. Enimvero quando ingens adest exiguarum perceptionum multitudo, ubi nihil distincti occurrat, mens stupet, quemadmodum in gyrum aliquoties celes-
titer acti vertigine corripimur, qui attentionem evanescere facit, ita ut nihil distinguere valeamus. Istiusmodi statum ad tempus animalibus mors conciliare valet.

Distinctio inter *Monadas* simplices & animas satis clare posita esse videtur: non tamen puto minorem animabus simplicitatem tribui, sed saltem maiorem perfectionis gradum. Ex statu animi, sopore aut deliquio oppressi, quando evigilans nihil recordatur, utique non sequitur, quod substantia simplex careat omni perceptione, sed neque hoc sequitur, quod gaudeat ulla. Demus enim, quod in quæstione est, illo in statu animam sine variatione subsistere non posse: eritne omnis variatio statim perceptio? Sit etiam omnis variatio in anima perceptio quia in anima: an ergo ab anima ad *Monadem* quamcunque legitime concludetur? Siquidem anima deliquio oppressa non desinit esse anima; possent in hac quæ tum contingunt variationes dici perceptiones, in aliis *Monadibus* vero res se aliter habere. Stupor mentis, qui exemplo vertiginis explicatur, potest etiam ex hypothese Newtoniana de lumine illustrari. Quando enim quæritur: cur radii Solares per lentem & prismam transmissi cernantur colorati, non vero extra hos simile sive casus? respondent, radiorum nondum separatorum multitudinem distinctum colorem non exhibere oculo in lumine constituto, ut multitudo colorum confusorum evanescere faciat omnem

omnem colorem, adeoque lumen videatur purum esse. Simili modo posset ob multitudinem exiguarum perceptionum mens stupere. An vero mors istiusmodi statum animalibus conciliet ad tempus, & tum quidem mens quasi in gyrum acta vertigine corripiatur, aut multitudine perceptionum obruatur, adeoque in mortuis major sit perceptionum quantitas, quam in vivis, omnium optime posset docere B. auctor, si quidem ex illo statu ipsi ad tempus redire liceret, suosque illarum rerum certiores reddere, quod Marfilium Ficinum Michaeli Mercato suo praestitisse tradunt.

§. 22.

Et quemadmodum omnis praesens substantiae simplicis status naturaliter ex statu praecedente consequitur, ita ut praesens sit gravidus futuro;

§. 23.

Ita quoque cum evigilantes ab isto stupore perceptionum nostrarum conscii simus, necesse omnino est ut aliquas immediate ante habuerimus, quamvis earum conscii non fuerimus. Etenim perceptio naturaliter non oritur nisi ex alia perceptione, quemadmodum motus naturaliter non oritur nisi ex motu.

Si nihil forinsecus accidere potest substantiis simplicibus, status praesens in iisdem ex praecedente saltem sequi videtur, & perceptio ex perceptione, ita ut omnia non interrupto ordine perpetuo causarum nexu cohæreant in infinitum. Perceptio quidem generat perceptionem, si tantum valeat, sed naturaliter etiam excitatur ab objecto movente, excitante, non percipiente, ita quidem ut cum perceptione, quæ proxime & immediate in subjecto percipiente antecessit, ne minimam quidem habeat connexionem, quod testari videtur experientia: In Compositis extra controversiam res est posita, hæ vero an ab objectis externis excitari possent, si idem in Simplicibus fieri nequeat, quæri potest? Etiam si perceptio proprie sic dicta per solum motum explicari haud queat, non tamen sine motu concipitur vulgo perceptio, ut supra dictum, neque repugnat inter heterogenea dari actionum passionumque commercium, licet

et illud per leges Geometricæ proportionis determinari non possit. Si vero perceptio in generaliori sensu accipiatur, longe minus erit dubium, eam ab objecto externo excitari posse.

§. 24.

Apparet inde, nos, quando nihil distincti &, ut ita loquar, sublimis ac gustus altioris in nostris perceptionibus habemus, in perpetuo fore stupore, Atque is *monadum nudarum* status est.

§. 25.

Videmus etiam, naturam dedisse animantibus perceptiones sublimes, dum iis organa concessit, quæ complures radios luminis aut complures undulationes aëris colligunt, ut per unionem fiant magis efficaces. Simile quid in odore, sapore & tactu, forsitan in aliis etiam sensationibus bene multis, sed nobis incognitis, occurrit: atque mox explicabo, quomodo, quod in anima accidit, repræsentet illud, quod fit in organis.

Si *nudarum Monadum* status est stuporis, mortis, quæ ad vitam revocantur, cum vestimenta induunt? Quæ status compositionis, quæ juxta §. 2. est mera aggregatio Simplicium, distinctiores perceptiones altioris gustus, quales natura dedit animantibus, conciliare valet? Radii quidem luminis per unionem reduntur efficaciores, singulæ autem *Monades* in aggregatione ibi mutuo viciniore redditæ neque una in alteram, neque aliud quoddam externum, sive sit substantia sive accidens, in singulas agere potest (per §. 7.) neque totum Compositum plus habere potest, quam Simples, quæ ingrediuntur (per §. 9.) eidem tribuerunt. Quod in sensationibus animantium, id quod in anima accidit, repræsentet illud quod in organis, nemo facile negabit: vulgo enim per organa ad animam ferri actionem objectorum, eamque solam proprie sentire statuitur. Idem ergo in anima contingere necesse est, quod in organis, ut a fortiori hanc repræsentationem (sed non simplicem) admittere cogantur vulgaris opinionis patroni. In eo saltem residebit dubium, cum anima simplex maneat *Monas*, adeoque per §. 9. fenestris careat, per quas aliquid ingredi valet, quid eam juvent organa? Cui bono tantus instrumentorum apparatus animantibus

tibus a natura datus? Potuissent meræ istæ repræsentationes simplici speculo absolvi. Et quæri hic merito debet, utrum anima apperceptione prædita fuerit ante conjunctionem cum corpore organico, an vero eam, hoc est, distinctam & cum memoria conjunctam perceptionem demum habeat ex hac unione, seu clarius loquendo, juxta - positione? Ex hac nihil anima commodi trahere potest, tum quia vera unio non intercedit, tum quia multitudo saltim perceptionum earumque debiliorum cumulatur, si in compositione cum pluribus *Monadibus* seu corpore organico consideretur, quæ multitudo stuporem potius statumque mortis (per §. 21.) conciliat. Quod si vero attulerit hanc virtutem anima corpori socianda, iterum videre nequeo, quid conferat corpus, quod si non noxium animæ, inutile eidem saltim erit.

§. 26.

Memoria speciem *consecutionis* suppeditat animabus, quæ rationem imitatur, sed ab ea distingui debet. Videmus ideo, animantia, dum percipiunt objectum, quod ipsa ferit, & cujus similem perceptionem antea habuere, per repræsentationem memoriæ expectare, quod eidem in perceptione præcedente jungebatur, & ad sensationes ferri similes iis, quas tum habuerant. E. gr. Quando baculus monstratur canibus, doloris, quem ipsis causatus est, recordantur, clamant & fugiunt.

§. 27.

Et imaginatio fortis, quæ ipsos ferit ac movet, vel a magnitudine, vel a multitudine perceptionum præcedentium proficiscitur. Interdum enim idem est impressionis fortis uno ictu factæ effectus, qui diuturni habitus aut multarum perceptionum mediocrium sæpius repetitarum,

§. 28.

Homines bestiarum instar agunt, quatenus consecutiones perceptionum, quas habent, non nisi a principio memoriæ pendent, & instar Medicorum empiricorum agunt, qui simplici praxi absque theoria utuntur. Et nos non nisi empirici sumus in tribus actionum nostrarum quartis e. g. quando lucem diei crastini expectamus, empirice agimus, propterea quod constanter ita factum fuit. Soli Astronomi per rationem judicant.

Id quod alii *simulacrum rationis* appellant in animantibus ceteris,

teris, quibus rationem denegant, ut hæc homini sola re maneat, videtur hic dici *species consecutionis*, quam memoria supeditat. Sed si hæc omnia admittamus, præter nomina nova nil habebimus, & nihil aliud scire poterimus, quam DEUM animantibus aliis dedisse etiam sensum, memoriam &c. imo & rationem gradu inter ipsa diversam. Qui actiones animantium nonnullorum per simplicem consecutionem explicaverit, si attenta mente sine præjudicio eas consideret, is erit mihi magnus Apollo. Unum exemplum, quod inter plura *Rorario* addenda notavi, memorare lubet. Catellus quidam ex illorum genere, qui pilis carent, hyberno tempore ad arcendum frigus noctu toga gossypina indutus singulis fere diebus primo mane surgens ex ædibus suis clam se proripuit, inque alienas similem catellam visitatum venit, & homines ibi degentes blandis variisque gesticulationibus sollicitavit, ut vestimenta nocturna ei detraherent, quo liberius cum catella agere posset. Cumque aliquando in exuendo integumento nemo eum juvaret, ipse mire se torquendo variis locis, sedilibus, mensæ, corpus adplicando artusque hinc inde movendo, artificium invenit vestimentum deponendi. Hoc cum per tempus bene longum continuaret, Dominum suum latere non potuit, qui hinc singulis mane domi eum vestibulis liberavit, posteaque dimisit, ad quem prandii tempore & vespera adpropinquante semper rediit, seque ad propria tecta recepit. Quando autem ædes catellæ primo mane nondum apertas offendit, e regione stans latratu suo monuit, ut aperirentur. Quæ res cum habitatoribus & vicinis (totam enim plateam latratu suo sæpe excitavit) molesta evaderet, non tantum ædes amplius ei apertæ non fuerunt, verum etiam lapillis e fenestra projectis procul abactus fuit. Et cum his non cederet, sed ad ipsas ædes intutum se collocaret, ut peti projectis non potuerit, per famulitium ad fores virgis cæsus, suumque ad Dominum reductus fuit, id quod toties repetitum fuit, quoties redibat. Hinc callidum animalculum aliquandiu domi mansit, deinde iterum non observante Domino sua denuo tecta relinquere, & ad ædes catellæ sine

ullo clamore se recipere, furtimque intrare cœpit, cum janua forte aperiretur. Verum etiam tum virgis castigatus & expulsus proculque actus diu quidem non rediit, tandem vero redux primum clamorem repetiit, sibi que eum in platea locum quo staret elegit, ut neque lapillis peti, neque a famulitio fores aperiente capi virgisque cædi potuerit. Non poterat hoc modo arceri canis, famulitio haud semper vacante, hinc potius ne latratu suo totæ viciniae molestus esset, sæpius eidem fores adapertæ fuere. Cum vero ipse nihilominus multas increpationes & lapidationes ob clamores istos per integrum fere annum sustinere deberet, interdum etiam plane non intromitteretur, aliquando e regione ædium stans & latrans vidit puellum ad fores accedere, manuque malleum appensum prehendere, subjectamque incudem pulsare, istaque pulsatione facta fores aperiri : quo facto non quidem immediate accurrit ad ædes, quamdiu per fenestras aliquem prospicere observavit, sed potius abitum simulans siluit. Cum vero clausis fenestris se haud observari ulterius crederet, per latus ad ædes accessit, eoque se collocavit loco, quo puellum fores pulsantem viderat, quo etiam e fenestris nemo propius fores premens detegi potest, & subsultando malleolum movit, foresque pulsavit. Cumque habitatores crederent, a puella vel puero quodam vicinorum nil ad quæsitum respondente, sed saltim, ut solent, fores pulsante idem fieri, aperiebatur janua & canis læto saltu intrabat. Quod cum postea frequentius repeteret, eaque res omnibus animalculi calliditatem mirantibus habitatoribus molestiam magnam haud crearet, liber ei accessus & recessus tum a suo tum a catellæ Domino in has illasque ædes permissus fuit. Rem omnem plures oculis suis observarunt, certusque sum, a nemine canem, ut januam pulsaret, instructum, sed in eo pueri actionem saltim imitatum fuisse. Egregiam mehercle! actionum non cohærentium, sed identidem pro circumstantiarum ratione mutatarum consecutionem, quam memoria suppeditavit scilicet. Nonne semel virgis cæsus canis memoria plagarum admonitus cum clamore & ejulatu fugere has ædes potius debuisset, quam, ut aperirentur, puerum imitari pulsantem?

§. 29.

Enimvero cognitio veritatum necessariarum & æternarum est id, quod nos ab animantibus simplicibus distinguit & rationis ac scientiarum compotes reddit, dum nos ad cognitionem nostri atque DEI elevat. Atque hoc est istud, quod in nobis *anima rationalis* sive *spiritus* appellatur.

§. 30.

Cognitioni veritatum necessariarum & earum abstractionibus acceptum referri debet, quod ad actus reflexos elevati sumus, quorum vi istud cogitamus, quod *Ego* appellatur, & hoc vel istud in nobis esse consideramus. Et inde etiam est, quod nosmet ipsos cogitantes de ente, de substantia cum simplici tum composita, de immateriali & ipso DEO cogitemus, dum concipimus, quod in nobis limitatum est, in ipso sine limitibus existere. Atque hi actus reflexi præcipua largiuntur objecta ratiociniorum nostrorum.

Anima rationalis sive *Spiritus* est cognitio veritatum necessariarum & æternarum. Nilne præterea? Innumeros deprehendentes homines, qui haud paucas veritatum necessariarum & æternarum ignorant: imo, si ipsis axiomata ista & principia dixeris, te non intelligent, & longe plures, qui nunquam per omnem vitam suam de iis cogitant. Hi ergo carebunt anima rationali, aut saltim dimidia gaudebunt, vel aliqua ejus parte, nihilque vel parum habebunt, quod ipsos a brutis distinguat. Soli forte Philosophi, maxime Metaphysici & Mathematici, qui abstractionibus utuntur, & universalia formant, hi erunt homines. Quid autem fiet cum istis Philosophis, qui veritates pro æternis & necessariis a nobis habitas non agnoscunt, qui in principiis dissentiunt? Bestiæ erunt? Actus vero reflexos sublimiorem in nobis rationis gradum constituere omnes fatemur. Num autem nulla vel aliqua cognitionis reflexio aliis quoque animantibus competat, ideo demonstratu difficile est, quod ipsa dicere nequeunt; hinc vero sufficiens id negandi argumentum non deducitur.

§. 31.

Ratiocinia nostra duobus magnis principiis superstructa sunt. Unum est *principium contradictionis*, vi cujus *falsum* judicamus, quod contra-

ditionem involvit, & *verum*, quod falso opponitur vel contradicit.

§. 32.

Alterum est *principium rationis sufficientis*, vi cuius consideramus, nullum factum reperiri posse verum, aut veram existere aliquam enunciationem, nisi adsit ratio sufficiens cur potius ita sit quam aliter, quamvis rationes istæ sæpissime nobis incognitæ esse queant.

Quod ad principium *contradictionis* attinet non est quod contradicam. Alterum vero, seu principium *rationis sufficientis*, declaratione ulteriori indigere videtur. An cum eo convenit, quod ajunt DEum & Naturam nil agere frustra h. e. sine ratione? An rationem sufficientem ipsa quoque voluntas liberrima absolute agens præbet, qualis ratio additur edictis Galliarum Regis in verbis: Car tel est nôtre plaisir? An vero hæc voluntas aliam rationem moventem habere debet præter simplex libertatis exercitium, quod ipsum videtur velle? Si hoc; dubito an omnes consensuri sint in Universalitate hujus principii. Sæpissime enim accidit, ut inter duo non inveniam rationem, cur unum alteri præferam. Certum quidem est, subesse quoque actioni vel electioni rationem quandam me non animadvertente, si exempli gratia e duobus thaleris ejusdem bonitatisprehendam manu proximum, commoditatis habita fuit ratio: si ita positi fuerint, ut æque commodum sit tollere & hunc & illum, si quis etiam non studio arripiat illum, qui minus commode potuit tolli, neque tum ratio commoditatis dari poterit. Sed si alia non occurrat, dices eam nobis manere incognitam, quod verum esse fateor. Ast porro inquires: mathematice demonstrari posse hoc principium, si contradictionis illud admittatur, per deductionem nimirum ad absurdum: positis ex. gr. duobus triangulis æqualibus & similibus, seu iisdem per omnia, A. & B. negato principio sufficientis rationis potest mutatio contingere in A. immutato manente triangulo B. in illius postea locum posito, adeoque non manente eodem cum triangulo A. quia vero triangula fuerunt eadem & nunc sunt diversa, sequi ajes, quod idem possit simul esse & non esse, id quod est

absur-

osurdum. Sed facilis est responsio: distingue tempora & concordabit scriptura.

§. 33.

Quando veritas necessaria, ratio reperiri potest per analysin, dum eam resolvimus in ideas & veritates simplices, donec ad primitivas perventum fuerit.

§. 34.

Hoc pacto apud Mathematicos *theoremata* speculationis & *canones* praxeos reducuntur per analysin ad definitiones, axiomata & postulata.

§. 35.

Et dantur tandem *idea simplices*, quarum definitiones dare non licet. Dantur etiam axiomata & postulata, aut verbo *principia primitiva*, quæ probari nequeunt, nec probatione indigent, atque ista sunt enunciationes identicæ.

§. 36.

Enimvero *ratio sufficiens* reperiri etiam debet in veritatibus contingentibus vel facti, hoc est, in serie rerum, quæ reperitur in universo creaturatum, ubi resolutio in rationes particulares progredi posset in infinitum, propter immensam rerum naturalium varietatem & divisionem corporum in infinitum. Datur infinitudo figurarum & motuum præsentium atque præteritorum, qui ingrediuntur in causam efficientem scripturæ meæ præsentis, & infinitudo exiguarum inclinationum ac dispositionum animæ meæ, præsentium atque præteritarum, quæ ingrediuntur in causam finalem.

In necessariis, ubi processu scientifico uti licet, analysis tandem ultimam detegit rationem, quanquam hoc non nisi excellentis Philosophi opus sit. Quod vero attinet ad veritates contingentes vel facti, in his vel reperire vel habere semper rationem sufficientem non hominis excellentissimi, sed entis summi, perfectissimi, hoc est, DEI opus videtur. Ratio est ipsa illa infinitudo rationum, aut, si malis, in creaturis libere agentibus (quæ quidem rationales dicuntur) interdum rationis defectus & carentia. Diversitas hæc inter Ens Summum, increatum, & creatum principii hujus universalitatem maxime infringere videtur. Quod de corporum in infinitum divisione hic incidenter dicitur, de mathematica intelligi potest.

§. 37.

Et quemadmodum tota hæc series nonnisi alia contingentia anteriora involvit, quorum unumquodque simili analysi opus habet, ubi rationem reddere voluerimus, progressus nil juvat: necesse est, rationem sufficientem seu ultimam extra seriem contingentium reperiri, quantumvis infinita ponatur.

§. 38.

Propterea quoque ratio ultima rerum in substantia quadam necessaria contineri debet, in qua series mutationum nonnisi eminenter existat, tanquam in fonte suo.

§. 39.

Jam cum substantia ista sit ratio sufficiens omnis istius seriei, quæ etiam prorsus connexa est; non nisi unus datur DEUS, atque hic DEUS sufficit.

Optima piissimaque B. auctoris intentio in his est manifesta, ubi ex eo homines ad existentiam DEI necessariam agnoscendam ducit, quod in serie rerum infinita non possint reperire rationem ultimam & ex contingentium existentia tandem devenire debeant ad existentiam substantiæ necessariæ, in qua sit ratio rerum ultima & series mutationum eminenter tanquam in fonte suo, quo simul ex sufficientia hujus rationis rationum, ut ita loquar, DEI unitatem probat, qui sit **אל שדי**. Quæ omnia contemplationem piis mentibus profundam & jucundam præbere possunt, si legitimum istud ratiocinium ab existentia contingentium ad existentiam entis necessarij probe perspiciant. Cæterum facile dubitabit aliquis, an primò omnes admissuri sint rationem sufficientem etiam in contingentibus reperiri debere ab hominibus? secundò si series rerum sit vere infinita, quod, non obstante ista infinitudine, extra eam poni possit, aut necessaria consequentia poni debeat ratio ultima progressionis, cum in serie infinita ultimus non concipiatur unquam terminus, multo minus aliquid extra illum, quo tendat. Abuti facile poterit profanum vulgus isto ratiocinio, prout de facto multi hodie abutuntur processu in infinitum, ut malint ignorantia in infinitum progredi, quam alicubi pedem figere firmum.